

„devitando, quorum offensionem aut inimicitias refert, midat, vult fieri Christianus; non fieri vult potius quam fingere.

Hæc merito attendunt, qui hodie convertendis & instruendis hæreticis incumbunt; ut potè qui non ratò spe commodi alicujus temporalis consequendi ad fidem Catholicam amplectendam desiderium aliquod ostendunt, vel potius fingunt.

VI. Ulterius cap. 8. ostendit Augustinus, aliter idiotas aliter eruditores Paganos esse catechizandos; pluraque alia deinde præscribit, quæ tractatus illius utilitatem, præsertim pro illis qui catechizandis populis occupantur, evincunt; et probantque pristinum catechizandi modum multò sublimiorem fuisse hodierno.

VII. Postquam autem per hanc privatam instructionem aliquotusque essent de Religione Christiana instructi, tum ad publicas instructiones, quæ in Ecclesia per Episcopum habebantur, accedebant; atque inde *Audientes* dicebantur; tumque primum propriè *Catechumeni* vocari poterant; Quia [ait Isidorus lib. De Origine vocum cap. 14.] „Catechumenus dicitur pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen Baptismum percepit. Quare & à Latinis Patribus Catechumenus passim Auditor vel Audiens nuncupatur; uti notat & probat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 129.

VIII. Postquam verò catechumeni in hoc ordine aliquo tempore perseverassent; & in excipiendis publicis instructionibus diligentes fuissent; animumque ad amplectendam fidem Christianam testati ad altiorem gradum ascenderant, ubi participes consortesque fiebant orationum, & exorcismorum qui super Catechumenos fundebantur; quem in finem in genua in ipsa Ecclesia procumbebant, inde *Orantes* vel *Genustæcentes* appellati.

IX. Duplex hujus Ordinis Catechumenorum, scilicet *Audientium* & *Genustæcentium* meminit Can. 5. Neocæsariensis, qui ex versione Gentiani Herveti ita habet: „Catechumenus si Dominicum ingrediens, in Catechumenorum Ordine steterit, is autem peccat: si genu quidem flectens, audiatur, non amplius peccans. Sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur.

Hunc Canonem sic exponit Aristenus: „Nonnulli modò accedunt; quocirca & ut imperfectiores post Scripturarum & Evangeliorum auditionem statim emittuntur. Alii autè ante tempus aliquod advenerunt & perfectiores evadunt; quare & post Evangelii præcos pro Catechumenis factas, expectant, & dum dicitur *Catechumeni capita vestra Domini, ne flectite*, GENU FLECTUNT. Perfectiores itaque, ut qui bona Dei verba prægustarunt, si lapsi fuerint statione sua moventur, & cum *Audientibus* collocantur; si autem & cum *Audientibus* sint, peccat, ab Ecclesia, perfecte expellatur.

Hanc Aristeni expositionem eruditores canonum Interpretes tuæ Græci, tum Latini communi consensu amplectuntur; agnoscuntque ex mente hujus Synodi, Catechumenum in altiori gradu, scilicet *Genustæcentium*, constitutum & ibi peccatum, rursus ad inferiorem, quasi in penam retrudi; qui verò in primo gradu Catechumenorum, id est, *Audientium* constitutus in peccatum labitur, ab Ecclesia perfecte, sive absolute pellatur, seu non amplius tamquam Catechumenus admittatur.

In eundem sensum accipiendus Canon. 14. Nicanus: „De Catechumenis, & qui lapsi, visum est & sanctæ & magnæ Synodo, ut in tribus tantum annis *Audientis*, postea *orent* cum Catechumenis.

X. Insuper hic observant Canonum Commentatores, Catechumenos *Audientes*, sive primi ordinis, tantum potuisse lectioni Scripturarum interesse, ac ea finita mox exire debuisse, ac verò *Genustæcentes* mansisse quousque à Diacono diceretur: *Quicumque Catechumeni discedite*.

XI. Catechumeni verò in *Audientium* aut *Genustæcentium* classe suos interim Magistros seu Catechistas habebant, qui eisdem in fide & vita Christiana instruerent; atque eorum profectui, modoque vivendi invigilarent. „Optatum, inter Lectores *Doctores Audientium* constituimus, ait S. Cyprianus Epist. 24.

XII. Hinc collige, originem hujus catechismi, qui inter cætemonias Baptismi hodie reponitur; eumque primitus fuisse verum catechismum seu instructionem Catechumenorum vel baptizandorum.

XIII. Dum convenienti tempore in hisce gradibus essent excitati, judicarenturque idonei qui Baptismum accipere possent à suis Catechistis, ad Episcopum ducebantur; atque testimonium de Catechumenorum scientia & vita reddentes, ac quodammodo spondentes [unde *Sponsores* vel etiam *Fidejussores* dicti] illos ad Baptismum præsentabant; quando & unâ Catechumeni nomina sua dabant; ut vimirum annotarentur inter illos, qui jam proximè ad suscipiendum Baptismum erant destinati seu *electi*.

XIV. De hac *nominum datione* frequens in pristinis Canonibus & Patribus mentio occurrit: „Baptizandi nomen suum dent, ac diu sub abstinence vini & carni ac manus impositione crebra examinati, Baptismum percipiunt,“ ait Synodus Carthag. IV. Can. 85.

Sanctus Augustinus, multis locis *dationis nominum* meminit; atque signanter libro *De Fide & operibus*, ubi ait: „Quod autem sit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes, Catechumenorum nomen accipiant: hoc fit multò diligentius, & instantius his diebus, quibus *competentes* vocantur; cum ad percipiendū Baptismū sua nomina jam dederunt.

XV. Datis nominibus Catechumeni in perfectiore & superiore classe collabantur; dicebanturque *competentes*, ut ex relatis S. Augustini verbis constat.

Sanctus Isidorus lib. 2. *De Ecclesiast. Officiis* cap. 21. *Competentes* dicit, „qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoque appellantur *competentes*, id est gratiam Christi petentes.

Eandem rationem nomenclaturæ insinuat Augustinus libro *De fide & operibus* cap. 6. dicens: „Cum fontis illius Sacramenta peteremus atque ob hoc *competentes* etiam vocaremur.

XVI. Quo tempore, & die nomina danda essent, varia fuit pro varietate temporum & Ecclesiarum disciplina.

Initium Quadragesimæ primitus ad hoc ordinatum fuisse non obscure innuit S. Augustinus *Sermone* 13. ad *Neophytos*: „Per omnem Quadragesimam vacaverunt [Competentes] orationibus & jejuniis, in sacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quaerentes.

Sub idem tempus ad Episcopum Terracoensem scribit Siricius Papa: „Generalia Baptismatis tradi convegit Sacramenta, his dumtaxit electis, qui ante quadragesimam dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati.

In Ordine Romano, qui circa tempora S. Gregorii scriptus creditur, hoc tempus ad quartam feriam hebdomadæ quartæ Quadragesimæ contratum est; uti videre est sub titulo *De Denuntiatione scrutini ad Electos*.

De hac varietate consule Notas ad Sermonem 212. Augustini in editione novissima Patiensis.

XVII. Quidquid sit de varia in hoc puncto Ecclesiarum disciplina, id constat, Catechumenos in hoc *Competentium* ordine constitutos etiam vocatos fuisse *Electos* tamquam jam ad Baptismum proximè suscipiendum adscriptos; imò jam inter *Fideles* computatos; docet S. Isidorus loco citato, ubi ipsos *Audientes* asserit esse *quasi hospites & vicinos Fidelium, de foris*, ait, audiunt Mytheria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur *Fideles*. „Competentes autem [pergit Isidorus] jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, id est, imbuuntur instructione Fidei & Sacramentorum. Itis enim salutare Symbolum traditur, quasi communitorium Fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

XVIII. Ad hanc ultimam classem per *crucis* signum ac manus impositione recipiebantur, quemadmodum testatur Augustinus lib. *De Peccatorum Meritis & Remiss.* cap. 26. „Nam

„Nam & Catechumenos secundum quemdam modum, per signum crucis & orationem manus impositionis pu- „to sanctificari.

Et clarius libro *De Catechizandis Rudibus* c. 26. ubi ex professo dicit, quod postquam catechizatus est instructus, ac interrogatus, an quæ audivit credat, atque observare desideret; quod si responderit, ait, *solemniter utique SIGNANDUS est, & Ecclesiæ more tractandus*.

XIX. Hujus ritus etiam hodie superest memoria; quia juxta Rituale Romanum, post factam exorcizationem & varias preces suas super infantem, tandem prævidè ante introductionem in Ecclesiam, signat Sacerdos infantem in fronte signo crucis, & imponit manus super caput infantis.

XX. His itaque Catechumenis non tantum prima Religionis rudimenta sive elementa tradebantur, quemadmodum incipientibus, sed abstrusiora etiam mysteria, quæ passim infidelibus occultabantur. Atque imprimis Fidei Symbolum *Competentibus* tradebatur, & exponebatur.

Id apertè tradit S. Augustinus lib. 1. *Retract.* c. 17. ubi rationè reddens scripti à se libri *de fide ac symbolo* ait: *In quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur: quasi diceret, in exponendo Symbolo non facta est illa verborum contextio quæ solet esse dum Symbolum traditur addiscendum Competentibus; quam contextionem ipse Augustinus, in tractatu *De Symbolo ad Catechumenos* observavit; ubi & in ipso limine hunc ritum ita exponit: „Accipite filii Regulam fidei, quod *symbolum* dicitur. Et cum ac-*

ceperitis, in corde scribite, & quotidie dicite apud vos: an tequam dormitis, antequam procedatis, vestro symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit: sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod audituri estis, hoc credituri: & quod credideritis hoc etiam lingua reddaturi; ait enim Apostolus, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hoc est enim symbolum, quod recensuri estis & reddaturi.

XXI. Huic traditioni Symboli respondet quod hodie ad præscriptum Rituale Rom. cum fuerint ingressi Sacerdos, infans & Susceptores, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptores conjunctim clara voce dicat Symbolum, Si autem adultus fuerit baptizandus, tunc is cum Sacerdote illud recitat.

XXII. Quod hic & alibi sæpius de redditione Symboli, significat ritum multis sæculis usitatum, recitandi publicè ac solemniter ipsum Symbolum ante Baptismi susceptionem per modum cujusdam professionis fidei.

Totum hunc redditionis ritum, & rationem exponit S. Augustinus lib. 8. *Confess.* c. 2. ubi loquitur de Victorino nobili Rhetore Romano, qui cum primò se Christianum esse occultè Simpliciano Episcopo Mediolanensi intimasset, sed post profiteri erubesceret, tandem hortatu dicti Episcopi depositu timore, subito dixit Simpliciano: „Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non se capiens lætitia perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum Sacramentis, non multò post etiam nomen dedit, ut per Baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia.

Post hæc subjicit Augustinus: „Denique ut ventum est ad horam *memoranda fidei*, quæ verbis certis conceptis, rentisque memoriter, de loco eminentiori in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab iis, qui accituri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui veniunt recundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat; illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.

Hæc ergo Symboli redditiō erat quædam publica fidei professio; de qua etiam loquitur S. August. *Sermone* 58. & 59. ult. edit.

XXIII. Huic redditiōni Symboli sive professioni fidei, respondet illa professio fidei, quam immediate ante Baptismum ad interrogationem Sacerdotis facit baptizandus per

Van Espen Jus Eccles. P. II.

te, si sit adultus, per susceptores verò, si fuerit infans.

XXIV. Nec tantum circa fidè cura & sollicitudo Pastorum & Episcoporum versabatur, sed vel maxime circa præcepta ac principia vitæ Christianæ, morumque disciplinam solliciti erant Pastores; ut & de illis ipsi Catechumeni ante Baptismum ritè essent instructi; ipsisque constaret, Catechumenos sincerè diabolo ejusque operibus renuntiasse, ac Christum induisse; caventes vel maxime ne Baptismum indignis nec à peccatis suis debitè convertis annuendo, darent sancta canibus.

Hæc de re librum integrum *De fide & Operibus* scripsit S. August. in quo ex professo ostendit, non tantum fidem, sed etiam morum doctrinam esse tradendam ante Baptismum; multumque probat & invictissimè astruit, peccatis prius esse renuntiandum, vitamque mutandam, quam quis ad Baptismum [extra casum necessitatis] admittatur; atque c. 6. hæc habet: „Videamus unde agitur, id est, utrum ad percipiendum Baptismum sic admittendi sunt homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne *sanctum canibus* detur; utque adeo nec apertissimi adulterii perpetratores & ejus perseverantiæ professores, à Sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quo sine dubio non admittentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percipiunt, suis nominibus datis abstinence, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus, se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitè, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos. Quomodo igitur ad illa sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans observationem non admittitur conjugatus.

Ex hoc Augustini discursu insuper discimus, Catechumenos tempore Catechumenatus, abstinence, jejuniis, exorcismisque exercitatos ac purgatos; & etiam conjugatos actu conjugali abstinuisse.

XXV. Hoc quoque ibidem indicat Augustinus, exercitia illa Catechumenorum, ac Pastorum circa Catechumenos sollicitudinem, nec non scrutinium sive examen super eorum fidè & vitæ mutatione potissimum instituta fuisse eo tempore, quo in hoc gradu *Competentium* versabantur, quod inferius adhuc apertius declarat dicens: „Quod autem sit per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum, gradus excipiat hoc est, uti notant Operum Revisores, ipse gradus Catechumenorum eos accipiat qui ad Christum nomen accedunt; hoc fit multò diligentius & instantius his diebus, quibus *competentes* vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt.

In veteri Ordine Romano circa tempora S. Gregorii scripto dicitur, præscribantur septem scrutinia Catechumenorum à die quo nomina data sunt, usque ad Vigiliam Paschatis, qua baptismus conferendus erat.

XXVI. Porrò sicuti Catechumeni per Symboli recitationem publicè suam profitebantur fidem; ita quoque vitæ suæ putationem testabantur renuntiando publicè diabolo ejusque operibus ac pompis.

Unde in hæc verba S. Pauli ad Timotheum: *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, confessus bonam confessionem coram multis testibus*, scribit S. Hieronymus: „Confessus es bonam confessionem in Baptismo, renuntiando saculo & pompis ejus coram multis testibus, coram Sacerdotibus, vel Ministris, virtutibusque cælestibus.

Hunc renuntiandi morem ex traditione ad nos dimanasse asserit S. Basilus libro *de Spiritu sancto* c. 27. „Termergi hominem unde est traditum? Reliqua, item quæ sunt in Baptismo, veluti *renuntiare sabbato* ex qua scriptura habemus? nonne ex privata & arcana traditione? Sanctus Ambrosius libro *de Initiandis* c. 2. „Ingressus es regenerationis sacramentum, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis *Renuntiasti* diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus.

XXVII. Huic renuntiatiōni respondet hodierna renuntiatio, quam Catechumenus per se, vel per Susceptores ad interrogationem Sacerdotis pronuntiat.

C c 3

XXVIII.

XXVIII. Sed quid hæc profeſſio plerumque hodie in infantia fieri ſolet per ſuſceptores, monet S. Carolus in ſua Synodo VI. cap. 8. ut Parochus & Confefſarius cohortationis officio in id incumbant, ut Fidelium unusquiſque annuè recolat diem ſuum baptiſmatis, atque eo potiſſimum, die ſanctè ſeſe excitet ad præclaram illam ſponſionem & chriſtianam profeſſionem, quam in ſacro lavacro per Sponſores ſolemniter edidit. *Repete*, inquit Sanctiſſimus Pater noſter Ambroſius, *quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus: mundo & luxuria ejus ac voluptatibus: memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſeries cautionis.*

XXIX. In hoc quoque catechumenorū gradu frequentiores erant orationes & exorcismi, iſque adjunctæ manuum impoſitiones, ut iis medianteſ Catechumeni à vitiiſ contractis in Gentilitate ampliùs purgarentur, & ad baptiſmum dignè ſuſcipiendum diſponerentur.

Unde Auguſtinus libro de Fide & operibus cap. 6. num. 9. ait: "Vel non intueamur alios, qui per ſingulos annos, ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales ſint iſtis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo ſtudio fervent, qua cura pendeant?"

XXX. Exorcismos & exufflatione etiam ſuper infantes baptizandos ſuo tempore dici ſolitos fuiſſe, teſtatur Auguſtinus, atque ex illo Eccleſiæ ritu probat, Eccleſiam agnoſcere infantes peccato originali obnoxios naſci. Sic enim ſcribit ad Sixtum Presbyterum Ep. 194. n. 43. ult. edit. "Circumſtantur enim & Divinarum auctoritate leſionum, & antiquitus tradito & retento firmo Eccleſiæ ritu in baptiſmate parvulorum, ubi expertiſſimè demonſtrantur, infantes, & cum exorcizantur, & cum ei ſe per eos, à quibus geſtantur, renuntiare reſpondent, à diaboli dominatione liberari.

Et infra n. 46. "Quid ad hoc reſpondeant, quòd exorcizantur & exufflantur infantes, hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi diabolus eis non dominatur, & ideò non fallaciter exorcizantur & exufflantur, per quid dominatur, niſi per peccatum princeps utique peccatorum?"

XXXI. Manuum impoſitionis quoque ſuper Catechumenos frequens eſt apud Veteres mentio. "Non uniuſmodi eſt ſanctificatio, nam Catechumenos ſecundum unum ſuum quemdam modum per ſignum Chriſti, & orationem ſub manus impoſitione puo ſanctificari." ait Auguſtinus lib. 2. De Baptiſmo Parvul. cap. 37. Plura teſtimonia idiplum probantia notat Da Cange ſuo Gloſſario, verbo: *Manus impoſitio.*

Per *Signum Chriſti* in citatis verbis intelligere Auguſtinū *Signum Crucis*, perſpicuū eſt; & iptoſ Catechumenos Crucem ſignari ſolitos fuiſſe pluribus locis teſtatur. Et quidem lib. 1. *Confefſionum* ubi ſua inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam ſigno Crucis ejus.*

XXXII. Hinc facile intelligimus, quam immeritò Hæretici ritus noſtros Baptiſmi, qui potiſſimum in exorcismis, exufflationibus, manuum impoſitionibus, crucis ſignationibus, & orationibus variis conſiſtant, tamquam novos & quaſi ſuperſtitioſos explodant: cum eos videamus jam pridem à Patribus fuiſſe adhibitos & nobis traditos.

XXXIII. Catechumeni in quarto ordine conſtituti, jamque Baptiſmo proximi, minutis quibuſdam Sacramentis, ſive Sacramentalibus utebantur: ut nimirum per ea ad vera Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipienda paulatim diſponerentur, quemadmodum exponit Vir eruditus Gabriel Albaſpinæus lib. 2. *Obſervat. cap. ſin.* "Inter cæteros ritus, ait, quibus olim formabantur Catechumeni, minutis, quibuſdam Sacramentis utebatur Eccleſiæ, non ſolum ut Myſteriorum rudè Euchariſtiæ paulatim aſſueſcerent, ſed etiam ut vite Chriſtiane ſemina, quæ in ipſa auditione animis combiberant, horum Sacramentorum uſu foverent. Nam quamvis Corporis Chriſti perfectæ illi & omninò formata membra non erant, utcumque tamen ei ad hærebant, Chriſtianitateſque ſpiritum quodammodo ducere incipiebant.

XXXIV. Sacramenti Catechumenorum meminit S. Auguſtinus libro De Catechizandis Rudibus c. 27. "De Sacramento ſanè, ait, quod accipit (Catechumenus) cum ei bene comendatum fuit, ſignacula quidè rerum divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari; nec ſic habendam eſſe illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet: dicendum etiam quid ſignificet & ſermo ille, quem audit, quid in illo condias, cujus illa res ſimilitudinem gerit.

Notant hic eruditi Operum Auguſtini Reviſores, Lovaniensium editionem legere, *condatur*; ſed ipſi notant: "Verius MSS. & Am. *CONDIAT.*" Nam agitur hic, inquit, de Sacramento *ſalis*, quo Catechumenus initiatur. Huc pertinet illud Auguſtini libro 1. *Conf. cap. 11. Et ſignabar jam ſigno crucis ejus, & condiebar ejus ſale, jam inde ab utero Matris mee.* Ipſa eſt, quam hic dixit *ſpeciem benedictione ſanctificantem*: adeoque paulò ſuprà loco ſanè legendum videtur, *ſalis.*

Per Sacramentum ab Auguſtino intelligi *ſalem* Catechumeni tradi ſolitum probat quoque Concilium Carthaginense III. cui ipſe Auguſtinus interfuit, *Canone 5.* hæc decernens: "Item placuit ut per ſolemniffimos Paſchales dies, Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolum ſal, quia ſi Fideſ per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

XXXV. Hic habemus originem benedictionis *ſalis*, quæ hodie in collatione Baptiſmi fieri debet, atque in os infantis immitti ſub hæc verborum formula: *N. Accipe S. LEM ſapientia: propriatio tibi ſit in vitam æternam.*

XXXVI. Catechumeni jam ſufficienter probati & inſtructi ad Baptiſmū admittentur: Nam, ut ait Canon 2. Nicænus, *Catechumeno tempore opus*; ut ſcilicet ritè diſponatur. "Quid enim agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, niſi ut audiant, quæ fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtianiſ, ut cum *ſepſos probaverint*, tunc de Menſa Domini manducent, & de Calice bibant, inquit Auguſtinus lib. de Fide & bonis Operibus c. 6.

XXXVII. Nec minus hodie ipſi baptizandi adulti prævidè probandi ſunt quam olim; utrum ſcilicet in fide ſint latiniſtructi, & vitæ antiorerem revera deteſtentur. Hoc probè intelligentes & expedites duo zeloſiſſimi hujus ſæculi Præſules, Franciſcus Epifcopus Heliopolitanus, & Petrus Epifcopus Berytenſis, qui in Tunchini & Cochinnæ regniſ multo cum fructu Evangelium annuntiarunt, quaſdam ediderunt Inſtructiones, quas Cardinalis Bona juſſu Congregationis de propaganda fide recenſens, Apoſtolicum ſpiritu ſcriptas fuiſſe teſtatur; eaſque ejuſdem Congregationis typographus Romæ evulgavit.

In his conqueruntur Prælati illi de quibuſdam Miſſionariis, qui de numero potiùs, quam de virtute à ſe baptizatorum gloriantes, *obvios quoſvis, vix explorata illorum voluntate, unà aut altera Inſtructione contenti, ſacro Baptiſmi fonte abluunt.*

Post hæc declarant ſibi viſum eſſe, "Catechiſmi tempus non breviori quam quadraginta dierum ſpatio vulgò definire, nec alios ad Baptiſmum admittendos eſſe, niſi qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cum enim experientia, quæ ſacris Canonibus conſona eſt, ſatis notum ſit, diuturniorem moram eſſe perutilem ad obtinendam in Chriſtiana fide perſeverantiam, Diutius probari debent rudiores, & obtuſioris tardiorique ingenii ſervi, & qui temporalis pœnæ vitandæ gratia fidem amplecti velle videntur, aut ſperant aliquid lucri & commodi ſe conſecuturos ex eo quod Chriſtiani ſiant; ſi denique, qui legis & conſtantis animi ſigna aliqua dederunt.

Declarant præterea, Miſſionarios, qui paſſim tempus illud præoccupant fidem Chriſtianeſ & animarum ſaluti plurimum nocere. "Enim verò, inquit, comprobatum eſt experientia, Chriſtianos peiores non inveniri, quam qui ante competentem Inſtructionem ad Baptiſmum admiſſi ſunt; quippe qua facilitate Chriſto nomen dederunt, eadem ut plurimum nuntium ei remittunt.

Tertio declarant, Miſſionarios non poſſe ad Baptiſmum admit-

admittere, tamen ſi in fide bene inſtructos, & cum ardentè petentes, niſi ante eam converſatione exploratum ſit, eos priſtinis vitiis ac criminibus renuntiaſſe, moreſque verè Chriſtianos induiſſe.

Nolunt quoque ad Baptiſmum admitti Gentiles, quantumvis emendationem vitæ ſpondeant, niſi ante illius ſuſceptionem operibus, non verbis tantum ſuam emendationem probaverint. "Sicut à ſacro Baptiſmatis fonte rejiciendi ſunt (inquiunt) qui vitiis ac peccatis obſtinatè adherent; ita procul ab eo expellendi, qui nolunt interioris converſionis ſigna operibus dare: cum inde pateat, infectam peccati amore voluntatem adhuc gerere.

Denique declarant, nullam eſſe habendam rationem nonnullorum, qui de Baptiſmatis dilatione conqueruntur, quaſi propter inopinatos caſus, Catechumenos morti ac proinde æternæ damnationi exponant.

Hæc omnia latiùs videri poſſunt apud Gaſparem Juenium in Commentario hiſtorico & dogmatico De Sacramentis *Diſſertat. 2. quaſt. 7. cap. 2. art. 2.*

XXXVIII. Baptizati è fonte Baptiſmatis educti veſtibus albis induebantur, de quo ritu teſtatur Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi myſt. 4.* ejuſ ritus rationem reddens: "Exutis veſtibus antiquis, & iis quæ ſecundum ſpiritum alba, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quaſi alba te ſemper veſtimenta habere neceſſe ſit; ſed quod his, quæ verè alba, ſplendida, & ſpiritualia ſunt, veſtiri te oporteat.

Ejuſdem ritus meminit S. Ambroſius libro De Inſtitutiſ c. 7. "Accepiſtiſ ſcit ad recentè baptizatos] poſt hæc veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiaſ caltaſ velaminis: na: " Græciani *Diſt. 4. de Conſecrat. Can. 92.* Et Canone præcedenti idem aſtruitur auctoritate Rabani Mauri; plureſque ejuſ myſticæ rationes redduntur.

Inſinita ſunt penes omnes omnium ſæculorum tam Latinos, quam Græcos Scriptores, hujus ritus teſtimonia.

XXXIX. Veſtem hanc totum corpus baptizati tegiſſe, ac propterea baptizatos exteriori habitu totos albos & candidos apparuiſſe, innumè non obſcurè omnia illa Patrum teſtimonia, quibus teſtantur ſimpliciter & indefinitè, baptizatos accepit *veſtem candidam*; quòd *indueremur veſtibus albis*; quòdque dicerentur, *Nives, Albi, Candidi*: quæ omnia dici non potuiſſent, niſi ipſi baptizati veſtem toti corpori congruentem accepſſent.

Ad recentè baptizatos ſermonem habens S. Auguſtinus in Vigiliis Paſchalibus ita loquitur: "Infantes iſti, quos certis niris exteriori *dealbato*, interioriſque mundatos, qui *condore veſtium* ſplendorem mentium præfigurant &c." *Serm. 223.* ex edit. Benedictionum, qui ibidem notant, *infantes*, dictos fuiſſe noviffimè baptizatos etiam ætate majores.

XL. Veſtem hanc in omnibus penè Eccleſiis ſeptem diebus retinebant Neophyti; id eſt ea in Sabbatho ſancto egressientes de fonte Baptiſmatis induebantur, & ſabbatho ſequenti deponerent. Hujus diſciplinæ luculentus teſtis eſt S. Auguſtinus *ſermone 157.* de Dominica in Octava Paſchatis: "Paſchalis ſolemniter, ait, hodierna feſtivateſ concluditur, & ideo hodie Neophytorum *habitus commutatur*, ita tamen, ut *condor*, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.

Quare ſeptem hoſ dies, *albas* vocabant teſte Rabano libro 2. de Inſtit. Cler. cap. 59. "Alios ſeptem dies in memoriam ejuſdem Reſurrectionis Dominicæ congruaſ feſtivateſ ſubjungens, quos ſeptem dies, *albas* vocitamus propter eos, qui in ſancta nocte baptizati, *albis* per totam hebdomadam utuntur veſtibus.

Nequaquam etiam obſcurum eſt, ex allatis teſtimoniis, Neophytorum ſeu recentè baptizatos *veſtem candidam* integris illis ſeptem diebus, tamquam ordinariam & vulgarem veſtem detuliſſe; nec tantum in Eccleſiâ ſed ubique cum ea inceſſiſſe; quòd & aliis teſtimoniis confirmat Viſecomes dicto loco cap. 14.

XLI. Hodie ex præſcripto Ritualium imponitur capiti recentè baptizati *linteolum* candidam loco veſtis albæ iud

hæc verborum formula: *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perſeras ante tribunal Domini noſtri IESU CHRISTI, ut habeas vitam æternam.*

XLII. Neophyti olim ceteros traditos fuiſſe in manibus reſert Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 1. myſtag.* & ejuſdem meminit S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 40. De Baptiſmo*; ubi Baptiſmi ceremonias deſcribens, in eorum numerum geſtationem ceteri quoque reponit: & oratione 39. de baptizatorum luminibus loquens ait: "porrò *luminum* nomine appellatur; quòd purget & illuſtret. Quo etiam fit, ut *facias* eo tempore in latitiæ ſignum accendamus.

Et ſæculo 9. ſcripſit Amalariùs Fortunatus lib. De Eccleſ. Officiis c. 26. "Clamante voce Sacerdotis, ut deſcendat virtus Spiritus Sancti in aquam, *cerei* Neophytorum, deponuntur in aquam. Quare hoc; Niſi ut de monſtretur, modò *cerei* ſignare Spiritum Sanctum.

XLIII. Cereò ſeptem diebus, quemadmodum veſte candida Neophytorum olim uſos fuiſſe clarè expreſſit ſæculo 6. ſcribens Alcuinus De Divinis Officiis: cap. De Sabbatho in albis, ubi poſtquam dixiſſet, quòd Neophyti ſeptem diebus *veſtibus albis* uterentur; id eſt, à Sabbatho ſancto uſque ad Sabbathum in albis ſubiicit: "Ita noſtri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidie ad Eccleſiam, *columna cerei illuminata* præcedente eos.

XLIV. Hodie Sacerdos dat Neophyto vel Patrino candelaſ accenſam dicens: *Accipe lampadem ardentem & Sir-reprehensibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerva Dei mandata, ut Dominus venerit ad nuptias poſſis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula caeleſti, habeasq; vitam æternam & vivas in ſæcula ſæculorum.*

XLV. Poſt ſuſceptum Baptiſmū ſtatim baptizati Chriſmate ab Epifcopo in fronte ungebantur; ſive confirmabantur. Oportet (ait Canon 48. Loadicanus) eos qui illuminantur (ſive, ut legit Dionyſius Exiguus, qui baptizantur) poſt Baptiſma inungi ſuper cœleſti Chriſmate, & eſſe regni cœleſtis participes.

Hujus diſciplinæ apud primæ & mediæ ætatis ſcriptores Græcos & Latinos inſinita ſunt & obvia teſtimonia, quæ citat Menardus in notis ad Sacram. Gregorii pag. 144. additq; Nec ungebantur Neophyti in vertice à Presbytero, cum ejuſmodi unctio inſtituta ſit ob defectum Epifcopi. Quinimo, ut rectè advertit Gabriel Albaſpinæus lib. 1. *obſervat. c. 25.* "Nemo Chriſtiani nomen olim ſortiebatur, nemo perfectus exiſtimabatur Chriſtianus, qui dono Spiritus Sancti confirmatus & donatus non eſſet.

Hocque eſt, quòd Canone 39. Eliberitano dicitur "Gentiles ſi inſirmitate deſideraverint ſibi manum imponi; ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit, eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.

Idiplū Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 3. Myſtag.* evidenter expreſſit dicens: "Hujus ſancti Chriſmatis dono accepto, merito appellamini Chriſtiani: veram efficien-tes appellationem in ipſa regeneratione ante enim quæ hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes eo ulque progreſſi eſtis, ut efficiamini Chriſtiani."

Plura in hanc rem adducit Chriſtianus Lupus in notis ad librum Tertulliani De Preſcriptionibus c. 41.

XLVI. Hodie Neophyti à Presbytero cum Chriſmate ungitur in vertice; (quæ unctio, ut ſuprà ex Menardo notatu eſt, olim non fiebat) his verbis: *Deus Omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum ipſe te lineat CHRISMATE ſalutis in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam.*

XLVII. Poſt Confirmationis Sacramentum Neophytiſ collatum, etiam Euchariſtiæ participes efficiuntur. Què ritum evidenter expreſſit S. Ambroſius libro De Inſtitutiſ c. 8. & aliorum veterum teſtimoniis aſſerit Hugo Menardus loco cit. pag. 106. oſtenditq; non tantum adultis, ſed & infantibus recens baptizatis ſacram Euchariſtiam datam fuiſſe; quòd & Aug. pluribus locis expreſſit; quamvis cre-